

mibi redderet meas obseruationes: eas tardiu repetebam, donec certò meas veriores esse cognouissem. Nemo mirabitur tamen istam dissensionem, qui memoria repetet communem & diuturnam illam omnium peritiorum Astronomia querelam de inemendata cœli stellati descriptione. Quæ enim de hoc hodie habemus, ex Ptolemæo & Alphonso, emendatione egent, ob errores plurimos, qui vitio scriptorum, & diuturnitate temporis paulatim irrepserunt. Nostras igitur hasce obseruatas distantias, pro verioribus assumere non dubitauimus, quàm sunt illæ, quæ ex calculo hauriuntur: præsertim cùm earũ plurimas cum Doct. Paulo Fabritio, Cæsaris Mathematico, aliquot diebus, communicato studio frequenti iteratione explorauimus. In quo etiam confirmatus sum sententia, & veluti testimonio viri eruditissimi Hieronymi Munnozi Hispani: quod ipsum quoque in suo libello Hispanico idiomate, de hac stella edito, eadem mecum sentire, suásque quasdam obseruationes ad unguem meis consentire animaduerteterem: ubi tamen dissentimus ab inuicem, id lapsu quodam suo, potius quàm meo accidisse, ex sequentibus perspicuum fiet. Est enim in obseruationibus valde procliue labi, nisi quis omnia diligenter circumspecterit, ac sæpius obseruando rem eandem explorauerit: ut notum est illis, qui aliquando periculum eius rei fecerunt. Lubet autem hîc illius obseruationes conferre cum nostris.

Collatio
obserua-
tionũ au-
toris cum
obserua-
tionibus
Munozii.

Ponit Munnozius distantiam nouæ stellæ à duodecima part. 5. scrup. 10. nos part. 5. scrup. 15. Distantiam nouæ à secunda ponit ille part. 7. scrup. 50: nos part. 7. scrup.